

25 tatis arreptus sanitate simul atque ornatu mentis extincto,
virtutibus quidem periit, solis vero vitiis et voluptatibus
vivit. Huncine ego non plangam, huncine ego non rigem
toto flumine lacrimarum usquequo, si potero, fletibus meis
ressuscitem sensus eius et vitales aliquos ex eo motus
30 tepor eliciat lacrimarum. Si enim hi qui corpora lamen-
tantur, cum sciant et certi sint nihil prodesse fletus suos
ad vitam defuncti, revocari tamen a lamentatione non
possunt, nos qui scimus a morte animam revocari posse
per conversionem, quomodo non medicamentum paeni-
35 tentiae, quo magis patescentibus poris recipi possit, lacri-
mis uberioribus emollimus! Quinimo et ignaviae nos argu-
endos puto, si cum lamentatores corporum mortisque
communis tam dure et tam vehementer hoc faciant certi,
ut diximus, quod non resuscitabunt mortuum suum, nos
40 nihil tale pro animae lamentatione faciamus quam resti-
tui in statum suum posse per paenitentiam noverimus.
« Nam in inferno, inquit, quis confitebitur tibi? » Sci-
mus enim plures et nostris temporibus et memoria maio-
rum prolapsos ab itinere recto et praecipitados ab ingressu
45 viae angustae ita rursus esse reparatos ut posterioribus
priora transierint atque ad palmam pervenerint et coro-
nam numeroque rursus et choro inscripti credantur esse
Sanctorum. Sed donec permanet quis in ipsa adhuc
flamma ac fornace libidinum, haec ei impossibilia viden-
50 tur, etiamsi mille provocetur exemplis. Si vero coeperit